



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. III. Curam infantium quo[ue] conuenire Reipublicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

nisi adultos. Verum eo mittat, ubi in virtute proficiat. Ne absentes in seductores impingant, ubique enim corruptelæ sunt.

Peregrinatio pueros vagos efficit, non bonos.

§. 5. In ablegando tamen modum seruet. Ne procul peregrinatum, aut longo tempore iuniores ablegat, sed vicinis tradat doctoribus, ut de filii profectu cognoscere queat; ne corruptum peregrinæ gentis moribus, oblitum paterni idiomatis, contemptorem legum, ac consuetudinum suæ gentis, illum recipiat. Tenera namque ætas, omnia illa combibit, sed mala celerius. Indulgentius peregre educatur, cum procul, & diu abest, nisi summa cura adhiberet. Deinde puerorum peregrinatio inutilis est, neque enim situm oppidorum, commoda fluminum, opportuna portuum, multo minus mores, instituta, legesque gentium notare possunt. Itaque prudentia non seruit, ingenio, & studiis obest illa aberratio, ex qua plerique peregrina vitia retulerunt, patriam virtutem oblii.

Nisi virgultum flexeris, frustra contra rigorem arboris pugabis.

§. 6. Lacones imitetur parens: Ut seuerus sit, laboribus, & aduersis mista educatio. Habeat paruulus quem reueretur, habeat, quo negato doleat. Cogatur & quandoque cedere. Nisi enim multis frenis coerceatur, cum prudentia careat, maximis, ac variis desideris agitur necesse est; ut si habenas permiseris, petulantissimus, & obstinatissimus euadat. Imo naturam induet, quam nulla postea disciplina excutiet. Tollantur igitur deliciae, vereatur ac timeat. Tyrannus est, pater, filio indulgens. Tyrannorum seuitiæ pars fuit, eorum, quos perditos volebant, liberos luxu corrumpere. Dionysius Sicilia Tyrannus, cum Dionio nocere alio modo non posset, uxorem eius nubere alteri iussit, filium ita educari, ut ante annos pubertatis, vino, epulis, scortis obrueretur; adeo ut nullo tempore sobrius esse sineretur. Rediit domum parens pulso tyranno, sed cum appositis custodibus ad frugem reducere filium conaretur, magno suo dolore intellexit, quantam vim primæ educationis rudimenta haberent. Filius enim indignatus, assuetas voluptates subtrahi, ex summa se adium parte præcipitavit, vitamque cum deliciis abrupt. Omnes itaque vias prudens pater occupabit, totaque in id Republica incumbet, ne ad vitia aditus sit; nam postquam venena sua iam in vitalia effuderint, aut leuata est medicina, aut periculosa adhibenda, quia magnis malis, lenia remedia cedunt. Hinc abdicaciones, carceres, custodias, & occultæ interdum neces. Quorum malorum causa, sæpe est ex educationis indulgentia. Verissimum est, quod Aristoteles Eth. 1. pronunciauit. Ου μικρὴν εὐσφίρει τὸν ἄνθρωπον, ἢ ἔστω ἐν τοῖς ἐν νόμῳ ἐβίβηται, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν νόμον, καὶ τὸν νόμον. Non paruum refert hoc vel illo modo à teneris consuefcere, sed plurimi omnino; imo vero totum ex eo pendet. Itaque erga filium, quem præcipue diligis, austerior, & tristior appare.

Educationis initia totam vitam tenent.

Tu modo quos in spem statuas submittere gentis, Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.

Sit grauis & paterna non aspera seueritas.

§. 7. Disciplina suauitate condiatur: Constanti, & æquabili grauitati, seueritati, imperio, sit adiuncta lenitas, quæ labores, exercitationesque velut honorificas, & gratas efficiant: Nolo sic patrem esse seuerum, ut solo metu vel studiorum, vel aliarum functionum labores, filius obeat; Nam asperitas imperantis, res alioqui gratas, & ingenio adolescentum consentaneas, reddit odiosas. Seueritas igitur in eo versetur, ut à vitis, ignauia, sumptuque retrahatur, lenitas, ut ad honesta ciuilitate, suauiterque traducatur. Benefactorum præmia semper speret, veniam, & impunitatem delictorum, difficillimam esse experiat.

Multo maior est ingeniorum diuersorum varietas, ut cum minorum, ad particularia ventum est, diuersis, & contrariis penuriam vultu ne utendum sit artibus. Minis alii ad officium diuerti.

§. 8. Ut indolem cuiusque educator agnoscat, Tanta est ingeniorum diuersorum varietas, ut cum minorum, ad particularia ventum est, diuersis, & contrariis penuriam vultu ne utendum sit artibus. Minis alii ad officium diuerti.

cuntur, alii indignati, quæ affecta habebant, abiciunt; alii attoniti fugam capeffunt. Laude bona indoles affurgit, leuia ingenia turgescunt, superba fiunt contumacia. Multis nocuit, laudatos esse. Verum in hac ingeniorum varietate, multi, multis impo- nunt. Itaque hæc generalia omnino sunt, quæ dixi. Nulla indoles adeo bene nata, adeo proba est, quam exempla parentum, & familiarum non corrumpant, nulla quæ seueritate non sit constringenda, lenitate non fouenda, quia omnes, virtutum seminaria animis infusa acceperunt, quæ ut in fruges excreffant, non modo opportuno sole, & imbre, sed ventis etiam, frigoreque, ut firmentur, agantque radices, indigent. Alia de sobrietate, de magistris eligendis, peculiari indigent institutione, nunc generatim hæc monuisse sufficiat.

Nulla vitæ tam felix, quæ non indigeat puratione.

CAPVT III.

Curam infantum quoque conuenire Republicæ.

§. 1. SUMMA cura, fortique homines indigent, quia tenerissima animalia sunt, summa coercionem, quia impetuosa, ac leuia: Ab ipso ortu igitur, ac primordiis educationem illorum tradamus.

Omnis dies, omnis hora, quam viciis sumus occupamus, imo quam nihil.

Primo quidem eorum, qui nascuntur, interest, ut sit parentum in matrimonio ineundo prudentia. Epilepticos, leprosos, carcinomate, alioque morbo laborantes, ne diram hæreditatem, in posteros contagione transfundant, nuptiis abstinere consilium est. Posset enim talibus familiis ciuitas repleri. Nam si eorum morborum ille horror est, & periculum, ut etiam, quamuis matrimonii nexus indissolubilis omnino maneat, cohabitatio tamen, & vitus coniugii tollatur, cui dubium esse possit, imprudenter eas nuptias celebrari, quarum diuortium propter contagionis periculum prudenter instituitur? Priuata damna illa sunt, sed in Republicam redundant. Cessare vero obligationem, quæ in cohabitatione, & vitu coniugii consistit, si horrido, & contagioso malo coniugum alter laboret, docet doctissimus, & diligentissimus, noster Thomas Sanchez lib. 9. de matr. disp. 24. num. 15. 16. 17. 18. Tertia sententia, cui omnino adhareo docet minime teneri, ubi iudicio medicorum notabilis infectionis periculum immineret sano, ex debiti redditione. Nec obstat text. cap. 2. de coniugibus leprosum: intelligitur enim, ubi ea redditio, non cedit in reddentis notabile damnum. Atque ita intelliguntur D. Thom. & reliqui Doctores citati numero 15. pro prima sententia, ut constat ex ratione, quæ eam probant: nempe, quia ex tam breui coniunctione, non imminet infectionis periculum. Quare manifeste sentitur eo imminenti, cessare reddendi obligationem. Nec obest etiam ratio secunda sententia, allata numero precedenti. Quia nullus se obligat per matrimonium contractum ad reddendum, nisi salua indiuidui incolumitate: ut numero 2. probauimus. Atque rationes ibi adductæ aperte probant hanc sententiam. Illamque tuerentur ex Theologis Durandus 4. d. 32. q. 1. num. 8. vbi Maior 1. q. 1. argumento 1. contra 3. Concl. Palud. q. 1. a. 2. num. 7. Almain. q. vnica. Soti. q. vnic. art. 1. ad 2. Ouanus q. vnic. post 2. propositionem. Celaia q. 1. argumento 2. Palacios disp. 1. fol. 704. D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 10. ad finem, in 4. casu. Caietan. summa, verb. matrimonium. c. ultimo de peccatis in vsu matrimonij vers. Primus est. Victoria summ. de matrimonio. num. 275. Medina cap. de restitutione q. 19. §. ultimo. Petrus de Soto lect. 16. de matrimonio, §. Sunt etiam præter hæc. Ledesma 2. p. 4. q. 66. art. 1. fol. 524. col. 3. Angles floribus 1. p. de matrimonio. q. 6. de obligatione soluendi debitum. art. 1. diff. 1. Pedraza summa, præcepto 6. §. 18. Enriquez lib. 11. de matrimonio. c. 15. num. 7. Manuel 1. tom. summa, 2. editione, cap. 243. num. 2. Bartholomæus à Ledesma dubio 71. de matrimonio, conclus. 1. Petrus de Ledesma de matrimo. quasi. 64.

Coniugii alter leprosus sit, quod ad totum separari possunt.

Matrimonial leprosum incensula.

quest. 6. 4. a. 1. dub. 2. concl. 1. Ludouicus Lopez 1. p. instruct. cap. 83. §. Sed an viro leproso: & 2. part. de matrim. c. 56. statim in principio. Grassi 1. par. decision. lib. 2. cap. 83. num. 6. Camedo summ. sacramentorum, de matrim. cap. 8. nu. 7. 2. Emmanuel Sa. Summa, verb. debitum coniug. vers. excusat à reddendo. Vega. 1. rom. summ. c. 78. casu 3. & ex iurisperitis Rosella verb. leprosus, nu. 2. vbi Ang. nu. 2. Sylu. verb. debitum. q. 1. vers. secunda est, & verb. lepra. qu. 3. Tabien. verb. matrimonium. 3. q. 6. §. 7. fin. Armilla verb. debitum, nu. 3. & verb. lepra. nu. 3. & verbo matrim. nu. 69. Turrecrem. cap. sciatis. 33. q. 4. art. 1. nu. 2. casu 3. Nauar. Summa, c. 16. Hispanu. 2. 4. latine num. 25. Gregor. Lopez. l. 7. verb. suadendo, tit. 2. p. 4. Gaet. repet. in c. ad limina. 30. quest. 1. §. 4. nu. 175. Obseruandum tamen est, si ex frequenti coitu timeatur infectio, non autem ex vno, vel altero, teneri coniugem semel, vel iterum reddere, non autem frequenter. Quia tota ratio cessationis præcepti reddendi, est timor infectionis, ac proinde in tantum cessabit, in quantum fuerit talis timor. Ita Palatios 4. dist. 32. disputat. 1. fol. 705.

Idem prorsus est dicendum, si alter coniux morbo gallico laboret, non enim tenetur coniux sanus, cum periculo notabilis infectionis ei debitum soluere. Quia eadem est ratio, ac de lepra. Ita Victorio de matrim. nu. 275. Sot. 4. d. 32. q. vnic. ar. 1. ad 2. vers. imo vero. vbi Celaia quest. 1. argument. 2. Palatios disp. 1. fol. 705. vers. Sed adhuc torquet. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 35. nu. 7. Petrus de Ledesma de matrim. quest. 6. 4. ar. 1. dub. 2. Imo idem de quocunque morbo contagioso dicendum est, ob eandem rationem. Merina. C. de ressit. quest. 19. §. vltim. Ledesma. 2. part. 4. quest. 66. art. 1. fol. 524. column. 3. Bartholomæus à Ledesma, dub. 72. de matrim. concl. 1. Armilla, verb. debitum, nu. 3. & verbo matrim. nu. 96.

Cum vero apud Hebræos, Persas, aliasque Respublicas leprosi separentur à ciuitate, non est conueniens nouam ipsos Rempublicam constituere, posteritatem tam miserabilem educere, quæ etiam partem sinceram sit tractura.

Febrium pestis est in parente sanetur, in prole tamen manet.

Ebriosi patris solidus est filius.

Dulcius educat mater ma-

Mater nutrit filium, cun- que prudens, tam subito euanescente matris amore nisi cum est amor ma-

Nec minus alia vitanda sunt: Vt scilicet cum febris alterutrum coniugum infestat, consensu secubent, proles enim morbidæ, & βροχίλιος nascetur, etiam stolidæ, si estuosiore sit febris. Deinde ciborum abundantia, cruditasque, præsertim vero ebrietas gignentium in natis variorum morborum causa est, attonitos reddit, & disciplinarum minime idoneos. Multo vero magis præferuidæ libidinis intemperantia. Reddit enim illa corpus ἀειπνέων, ψυχρότερον, ἐνθεστέον, & ἀσθενέστερον, ita enim docet cæteris consentientibus Paulus Aegineta lib. 1. Raritas, frigus, siccitas, infirmitas, senectæ præcox, mors immatura inde sequitur. Cuius inde enatus corpore inualidus, mente tardus euadit; & quod puero debili, stupidoque maximum malum est, parentem impubes effert, tutorum vel negligentia captiuus, vel præda rapacitati. Atque hæc de suscipienda sobole sufficiant, de educanda agamus.

§. 1. Cum igitur in lucem homo natus fuerit, res sacra, & diuina, imago sui creatoris, non mater modo soluta partus doloribus, sed tota familia, toto animo gratias Deo referant. Coniugii enim pignora, dolorum præmia, sunt filii, sed noua cura educantibus. Offerant infantem Deo, vt formatum in vtero, reformet in lauacro. Et quod præcipuum est, ipsa mater, nutritrix sit, & gerula, in eius sinu nutriatur infans, ex cuius visceribus effusus est. Nullum alimentum est genito salubrius, lacte materno. Natura opus est, alimentum genito præbere. Aristoteles lib. 1. politic. cap. 10. Varro eadem nutritrices, & matres esse voluit. Miratur, atque indignatur qui- trit filium, cun- que prudens, tam subito euanescente matris amore nisi cum est amor ma-

luci illatum, quomodo tam cito obliuiscitur? Πέ- ςατος οὐκ ἀπολείπει τὸ αὐτὸ ἐκγονὸν εὐδὲ λυγρὸν, ἀσθεν- τior libido. & ὁ ἀπολείπει. Nec ovis, nec lupus satum suum deserit,

homo vero deserit. Arrian. 1. Epist. 23. Grauius qui- dem Deum offendunt, quæ fontem lactis, filiis de- bitum, exsiccant, natura enim non vult intercipi sua munera, & quæ iam ante Deus præparauit, ad humani generis conseruationem, non vult per deli- cias corrumpi. Naturam enim ignauia, & ἀσθενεία demutant: idque agunt vt alimenta proli subtra- hant, etiam per dolores, positus in dorso concurbi- tulus, quæ forte, ne quidem pro lactis augmento tentandæ forent. Nascuntur hinc vberum γαστή- ρος, seu γαστρίδος lactis, dum per spongiosa mam- marum, in coagula, & grumos, negatum soboli ali- mentum spillatur. Meritoque matrem supplicio tor- quet: aut dum magna affluentia κίλπος, seu sinus vberum lac distendit, in varios morbos incidunt.

Omnium itaque animalium, illa est erga factum affectio, leones, & tigres pacata feritate filiis suis blandiuntur, & mammas præbent. Naturæ vox est, factum alendum, pro eo pugnandum. Omnium beluarum feritatem, cum prolem nutriunt, prolis amor exasperat. Nulla vulnera, nullos ictus, pro partu suo reformidant:

Τόσον ἀπρηγόριστο γαστήρως φιλῶν ἐνὶ κρηδῇ σῶζεν θεός.

Tantum amorem recentis partus pectori Deus instillauit.

Dulcia pignora, proprio spiritu cariora sunt. Potens enim natura, firmo vinculo parentes, & natos tenet; Sed stolidæ matres magnam eius partem, nutriculis demandant: efficiuntque, vt filii adulti nutrices, æque ac patentes ament, interdum propensius, me- mores, à matre teneram atatem suam contemptam esse, à nutricibus matrum vicariis susceptam. Ale- xandri magni sane insignis fuit in nutricem amor, & veneratio, & nescio an maior, quam in matrem O- lympiadem, Curt. lib. 8. Iust. lib. 12.

Improba res, ne filium lactent, se ipsa torquent.

Quod omni natura Deus insequitur, hominum delicia eruant.

Cōtemp- tem ode- runt, bene- factorem amplectun- tur.

Educatio neglecta in caput pa- rentum re- dundat.

Alieni la- ctis quali- tas infanti periculosa.

Prima nu- trimenta infans in- dolens for- mant.

Vetula nu- tritrix perni- ciosa infan- ti.

§. 3. Hinc & alia pœna, diuina ultione, delicatis fœminis imponitur, vt cum filios paruulos, velut a- lienos, suæque curæ indignos, alienæ fidei credide- rint, eos cum valentiores euaserint: immorigeros, obloquutoresque sentiant. Non potest illa vberibus ostensis ingratitudinem exprobrare, quæ filium illi dignata non est. Quid superest ergo aliud, quam vt expectet, vt ab eo deferatur in senectæ, quem va- gientem domo, aut sane sinu eiecit? Non inueniet in robusto pietatis, & amoris constantiam, cuius ipsa elementa in cunis oblitterauit, & aboleuit.

§. 4. Multis etiam modis filio obest, qui cum in vtero materno, de sanguine matris vixerit, nullum habet suæ naturæ, ac constitutioni alimentum ac- commodatius, quam lac eiusdem matris, est enim lac sanguis dealbatus. Tantæ porro teneritudini pro- lis victus, & aeris mutatio periculosa est. Lactis enim alieni succus, nec sanitati, nec incremento conducit. Simili vnumquodque alitur, contrario oblæditur, mutatione deicitur.

§. 5. Neq; minus moribus nocent, quam vitæ pro- lis. Quid enim si nutricem nacta sis ebriosam, iracun- dam, libidinosam? combibet in ipso lacte venena, malefica fœminæ tener alumnus. Audietque:

Non tibi diua parens generis nec

Dardanus auctor,

Perside, sed duris genuit te cantibus horrens

Caucasus, Hircanæque admorunt vbera tigres.

Et: Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino.

Qui enim persuadere tibi potes, meliorem fore filio adfœcitiam matrem, cum tu duas illi nouercas dede- ris: te enim deferendo, nouercam, & illam aduo- cando fecisti. Quam vero illam? Si vetula est: Con- tra vetustissimum medicina præceptum peccasti. Medici enim lac, sanguinis spum. m esse volunt, quo nomine, monet Varro, nutricem oportere esse adolescen- tem, nam amix, vt sanguis deterior, sic lac. Quid igitur filio

*Nutrix ca-
sta sit.*

filio saniosum humorem, de frigido sanguine vix spif-
satum, pro vera alimonia porriges? Si iuenculam
dederis, vide ne mores, & familiam corruptat. Imo
ne ipsa concubitu non abstineat, si enim imprægnata
fuerit, lentum venenum alumno propinabit. *Conci-
pere nutrices exitiosum*, ait Plin. lib. 28. cap. 9. Et Gai. de
tuenda sanitate. Nihil est infanti lactenti adhuc no-
centius, quam nutricem in vtero concipere. Quod
enim optimum est, & vitalissimum hoc in fœtum ab-
sumitur, sanguis minor, & impurius remanet, lac aut
nullum, aut exiguum est, vt monet Aristotel. de gen.
anim. l. 4. c. 8. Verum vt nihil eorum quæ crebro fi-
unt, factum esse concedamus, est tamen amor matris
naturalis, nutricula mercenarius: ideoque alia mer-
cede, alio ducuntur. Cum enim semel luero se ani-
mus dederit, ibi fas putat, vbi maximâ merces. Ne-
que est quod nutricem amaturam arbitreris alie-
num, cum tu mater non diligas tuum.

*Mater esse
desit, quæ
filium abie-
cit.*

§. 6. Quid tandem, si loqui posset infans, dice-
ret, si mox ab vtero se videret relegari? & sine culpa
sua exulare, nisi culpa fuit nasci? Tacet strepitu, cla-
mat affectu, tener est, miserabilis est, quia rogare non
potest, amandus est, quia nondum intelligit calami-
tatem suam. Diceret sane, si intelligeret: mundum
ô mater, & cimelia, & armillas multiplici clauæ as-
seruas, catellum, & sumiam forte sinu fœves, arcæ tuæ
nulli permittis arbitrium, totam diem ornatus di-
sponitur; me partem tui, qui vitam meam à tuis vi-
sceribus accepi, qui vix à te diuulsus sum, alienæ
committis fidei, & forte perfidiæ. Et quanquam
sperare potes leni obsequio me educandum, certe
scis non materna manu tractandum. Olim si te a-
num imbecillam, & opis egentem, vel domo, vel
affectu excluderem, dignus certe essem, cui tellus
ima dehisceret. Si hoc permetterem, vt alius beni-
giore, quam ego in te animo esse videretur, filium
ne me agnosceres? Cui curam mei delegas, quam
me iubes diligere, vt alteram matrem?

*Lac mater-
num magis
vitale.*

§. 7. Non faciet ista mater, quamuis matrona di-
tues, & illustis. Semper lacte natiuo, non emptio
filium sustentabit. Semper enim lac, ac spiritus ma-
ternus, longe magis ingenii, atque incrementa cor-
poris auget. Colum. lib. 7. cap. 12. Non esca modo,
sed & spiritus, magno enim affectu, mater vbera filio
præbet, ideoque lactis spiritosi, & calentis, saluta-
rem copiam cum spirituum vita quadam infundit.
Amantis enim matris alimenta, omnia viuidiore
sunt, & natis non modo corporum vigorem, sed in-
genii quoque similitudinem adferunt.

*Periculum
ex nutrici-
bus.*

§. 8. Denique quod periculum tandem, illo per-
uerissimo fœminarum fastidio, propriique sangui-
nis contemptu adeatur, latere neminem potest. Quæ
facile enim fuerit, nutriculum ingentis mercedis pre-
cio corrumpi, vt nobili partui rusticanum supponat?
& clarissimis familiis seruales sordes inferat? Ita sane
Artabano Macedoni contigit, cuius filium infida
nutrix permutauit, & deinde adulto, iam vero &
suppositio filio, sceleratius furtum euulgauit, quam
fecit: Magna enim clade regni vterque concurre-
runt, atque vna die occubuerunt. Nec in paruis
modo cauta custodia est adhibenda, sed multo ma-
ior adultis, cum ætate enim, & robore filiorum cre-
scunt boni parentis, nunquam nimis magnæ solli-
citudines. Nutricum est magna apud alumnos au-
thoritas, & sæpe maior, quam matrum, nec defue-
runt qui plus illas, quam matres amarunt. Certe
multi matribus nefarias manus attulerunt, nutrici-
bus pauci. Hinc multi principum liberi, ab illis in
fraudem inducti sunt, & nulla regiarum fœmina-
rum, nisi conscia nutrice rapta est. Causa matres
sunt, quæ alteram quasi matrem illis adiungunt,
quæ matris habet auctoritatem, matris fœtata amo-

*Nulla pa-
rentis boni
solicitudo
nimia, quia
nunquam
absunt pe-
ricula.*

rem, seruire tamen, & precio venale ingenium.
Multis olim nutricum nequitia legibus coercita
sunt, inter eas seuera est illa Constantini, anno 320.
lata. Et quoniam parentum sæpe custodia, nutricum fabu-
lis, & prauis persuasionibus deluduntur: his primum qua-
rum detestabile ministerium fuisse arguimus, redemptique
discursus pena imminet. Vt eis meatu oris, & faucium,
qui nefaria hortamenta protulerint, liquentis plumbi inge-
stione claudatur. Veterum igitur præcepta sequan-
tur, & proprio lacte filios alant, vt ingenuam in-
dolem, promoneat maternus affectus: Si enim vt
Iustinus libr. 43. refert Hogis Curetum rex eximia
perniciatis fuit, quia ceruam nutricem expositus
habuit, quantum in cæteris vim esse dicemus? Ca-
tonianæ igitur vxoris potius sedulitatem imitentur,
quæ non modo filium ex se genitum ipsa nutriuit,
sed ancillarum quoque infantes interdum vberibus
suis admouit, quæ re parentes in præsens, & in
futurum vernulas suos filio conciliauit.

*Regiarum
fœminarum
consilium,
& senatus,
est nutrix.*

*Nutricum
conciliatio-
nes legibus
vindicate.*

*Vix nutri-
menti in a-
lumno.*

Quid igitur hac in re principi statuendum? Di-
cam vno verbo. Legem ferendam esse publicam: Vt ma-
ter filios, quos genuit, suo lacte enutriat: neque vllam vel
opes, vel nobilitas excipiat. Quod si causa morbi, non
possit, ea de re auditis medicis, magistratus, & maritus sta-
tuat. Quæ secus faxit, ignominia notatur.

*Lex nutri-
di infanti.*

§. 9. Merito sane, nisi enim inter parentes, ac
liberos sit fortis amor, non poterit esse inter alie-
nos, ideoque nec in Republica concordia. Multi
parentum, vicariam pro filiis mortem optauerunt,
nonnulli subierunt, plures illis superesse nolue-
runt. Israel inconfolabiliter Iosephum luget: Da-
uid non nisi periculo motus, signa mæoris dimit-
tit, mæorem altius figit, ac condit. Et ne pietas
tantum, sed naturæ, & humanitatis amorem il-
lum intelligamus. Ægeus Atheniensium rex, cum
ex aspectu velorum lugubrium, Thesæa occisum
suspicaretur, in pelagus se præcipitem dedit. Simi-
lis error, matrem Vlyssis extinxit, Iocasta cum E-
teocles, & Polynices mutuo vulnere cecidissent,
breui secuta est. Mopsus Cretensis auditio ad Sa-
gunthum filios perisse, lapsus è turri, sese volens,
prudens elisit. Orodes rex Parthorum, morte Pa-
cori filii, tantum dolorem animo cæpit, vt quod
olim eadem de causa, contigerat Hecubæ, in ra-
biem verteretur. Gordianum quoque imperatorem,
mæror occisi filii obruit, & extinxit. Octauius
Balbus cum sui causa filium occidi putaret, sese pro-
scribentium carnificibus obtulit. Eodem amore in-
ter Q. Ciceronem, & eius filium certatum est: Nul-
lis tormentis filius adduci potuit, vt parentem pro-
deret: Pater è latebris se in conspectum dedit, vt
lanienæ filium eximeret. Idem erat amor eorum,
de quibus Liuius ait: Multos bello punico secun-
do ad Thrasymentum, & Cannas falso creditos
petiisse, eratque nonnullorum vita iam temere de-
plorata, cum repente matribus oblatis, tantam læritia mo-
lem illarum animis effuderet, vt velut subita ruina oppressæ,
inter oscula, & amplexus exspirarint. Tantum cum sit
vix naturalis inter parentes & natos vinculum, non
debet eius à primo statim ortu, per matrum de-
licias, nexus aut solui, aut
laxari.

*Publica co-
cordia vin-
culum est
amor fami-
liarum.*

*Caritæ-
rentis mor-
te fortior.*

